
kat.komp.
27257
Mag St. D.
P

Acroamata

1872. IV. 102.

~~Hist. 3470~~

4385.


9.

ACROAMATA
PERENNIS GLORIÆ ILLVSTRISSIMORVM COMITVM A TARNOW,

E memoria vetuſtatis in breue compendium, cum ſuis Elogiis

REDACTA.

Superiorum Permiſſu.



CRACOVIÆ,
Ex Officina Typographica Franciſci Cæſarij,
Anno Reparatæ Salutis 1647.


ORTA NVNQVAM OCCIDIT.
GENTILITIA LVNA TARNOVIORVM.



Syderibus cuinam geminis Insigne coruscat,
TARNOVII Comites, lampade vtraq; nitent.
TARNOVIIS potuêre decus tantum astra dedisse?
Imò super, meritis contigit, astra, locus.

27257. I.





ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. MICHAELI

COMITI à TARNOW

In Wielowieś, Dźikow, & Zborow Hæredi,

CASTELLANO

WOYNICENSI, &c. &c.

Domino & Patrono Colendissimo.



Ensis mærorum tenebris, propter luctuosum, ex hac vita, discessum ILLVSTRIS *Domini* THEODORI CAROLI *Krzepicensis &c. Capitanei, nepotis tui Charissimi,* ILLVSTRISSIME DOMINE, *obnubilatam Gentilitiam* LVNAM *Tuam, pristinæ vt restituam claritati, ex vetustis Authorum monumentis, quasi ex vmbris, in lucem educere auet animus. Absit vt etiam pullato velata amictu,* LVNA TARNOVIA *non luceat? Cuius clarissima in Deum, Patriamq; merita, nunquam ita sub vmbra alternantis fortunæ latitant, vt non appareant clariora. Aliorum sunt ista fata, vt eâdem quâ cor-*

pus vrnâ, absorpta contineatur & fama. Domus vestræ semper Inclytæ, neminem Orbis Lechicus vidit: cuius egregiè facta claudantur sepulchro. Lucetis ô Illustrissima Luminaria, nec iam tempora, sed ipsam æternitatem serenatis. Vnde quòd lux Solis, vel Lunæ in cælo, id mihi Illustrissimorum genus TARNOVIORVM *semper visum. Ad illorum cælestium Planetarum fulgorem, humanus caligat oculus, ad vestri,* TARNOVIANI, *inquam, syderis, splendorem, elinguem omnem necesse est esse eloquentiam. Concinnaueram nihilominùs ego aliquid simile, & quidem in alio vitæ statu, circiter ante tres decades annorum, in gratiam Illustrissimi Domini Gabrielis Comitis à Tarnow, Fratris tui* ILLVSTRISSIME DOMINE *vterini, (qui postmodum & Generalis Capitaneus Cracouiensis fuit creatus) verùm enimuerò cum ad paucos ea Decora Familiæ Tuæ deriuata esse sciam, ne aliquam Tibi, Tuorumq; Maiorum, præclarè factis attulisse iniuriam videar; vt in sequentem quoq; posteritatem, tantus Natalium Tuorum splendor, radios semper fulgentes, proijciat, quasi de nouo, eorum illibatam gloriam, Typo excitare decreui. Ratus hac ratione meum Religiosum studium Tibi acceptum fore, si Tua, eaq; innumera, perenni Senatorum successione firmata sydera, ab occasu obliuionis, vindice arrepto calamo, liberarem. Quem totum meum ingenuum non tàm laborem, quàm potiùs pium quendam conatum, ad lucem coruscantis Tuæ Lunæ, tum verò*

& ad

& ad lumen radiantis, in Clypeo Tuo Gentilitio, Stelæ, confectum esse scias; Quomodo enim de luce, sine luce scriberem, nisi Tuum hoc splendidissimum Stemma, facē mihi præferret? Atq; dum insigne hoc Tuum, Fasta Polonorum, per varios Senatus Sarmatici Principes, pluribus deducunt, ac deprædicant, mihi paucis, & quasi per crinem, omnes & singulos, cum suis Elogijs Symbolicis, vtriusq; Suadæ afflatu, attigisse sufficiet. Saltem vt Illustrissima Tua proles, quæ interea in spem magnam Familiæ ornandæ adolescit, habeat, vnde vitæ morumq; exempla, vestigijs Maiorum insistens, excerpat. Tu interea pro gloriâ sanguinis, qui antiquissimus est, proq; Magnificentiâ TARNOVIANA, *quam Tuo Illustri Nomini addictis, præstare consuêsti, me vnâ cum Ordine meo Proto-Eremitico benèuole complecti non desinas. In reliquo Tu* DIVA *nostra* CLAROMONTANA, *Princeps Regni* TVTANA, *annue, vt Illustrissimis Comitibus à Tarnow, adsit inuicti animi, corporisq; robur. In Cænobio Clari Montis Częstochouiensis, Anno Salutiferi Partus* 1647.

Illustrissimæ Magnificentiæ Tuæ
Humilis deprecator

Fr. IOANNES DIONYSIVS ŁOBZYNSKI
Ordinarius Prædicator
Clari Montis Częstochouiensis.



Ad Beneuolum Lectorem.

ELogia quæ cernis, ſine Imaginibus vt afferrem, neceſsitas coëgit. Quibus incidendis, ſi ſagax artificum appoſita fuiſſet manus, non contemnendum ſcriptioni acceſsiſſet pondus. Sit ſatis, ad omnem fortunam & gloriam Illuſtriſsimorum Comitum illuſtrandam, omnem eruditionem, ſymbola ſua contuliſſe, vt nulla ſit virtus, nulla eorundem merita (potiſsimum ab Hiſtorijs Lechicis celebrari ſolita) quæ non Hiroglyphicis figuris clariora reddi poſsint. Ex multis pauca hæc deliba, vicem Emblematum penicillo exprimendorum, Lemmata & verſus præfixi obibunt. Subiecta Hiſtoria, etiam ad vlteriorem cognitionem, quaſi manu te deducet. Lucem ſuper omnia dabit, hoc ipſum Sydus TARNOVIVM, quod & ipſos cœlos ad æmulationem prouocat. Nec plura his addo, quâ prudens, & bonus es, benè ſit tibi.

FONTES



FONTES ELOGIORVM
ILLVSTRISSIMORVM
COMITVM
A
TARNOW.

I. Gens Antiqua.
II. Sanguis verus Comitum.
III. Diues opum, veſtis, & aulæ.
IV. Fida pectora Principum.
V. Subſellijs Regum Affines.
VI. Herculeæ Poſſeſſores clauæ.
VII. Martis Sarmatici Succeſſores.
VIII. In periculis Viri.
IX. In pace Ciues.
X. In Toga Senatores.
XI. In Sago milites, Domi beneuoli, Foris non inhumani.

XII.

XII. In Patriam Pij,
In Deum religiosi.

Vtriusque fortunæ, viuentis & videntis, cæcæ & volubilis pollentes potentesq; Domini.

Absit verbo inuidia!
Astra sunt,
Sydera sunt,
Lumina sunt.
Micant inter Orbes
Velut
Luna Minores.
Abi hinc, semper Magnorum æmula inuidia.
Quod si nec dum nitidis desistis
Obmurmurare astris,
His te Symbolicis enecare lubet
Elogiis.

ELO-

ELOGIVM I.

TARNOVIANÆ NOBILITATIS

Lapis Lydius, Antiquitas.

Garrula dum Cornix ſynceri ſigna metalli
Explorat roſtro, Lydius illa probat.
Auro ſignatur virtus, Cornice vetuſtas,
Hanc propter, virtus nobilis orbe viget,
Quæ probitas, Qui TARNOVIIS ſint pectore mores?
Sola vetuſtatis dicere fama poteſt.

Nec heri, nec hodie nata, aut, quam auia vetus primis memoraret ab auis. Numera, octoginta duos ſupra mille annos, TARNOVII floruêre: quos, ſi cum noſtra contuleris ætate: Quingentis triginta quinque, magna in fortuna regnaſſe videbis, Solibus, Felix Sydus, quo æuiternum hoc germen in terrâ conſitum, honoribus alitum, virtutibus conſeruatum. Hoc quippè teſtis incorrupta, veneranda proclamat antiquitas, Sarmatæ, ſuſpicite.

Páprocki in Stem. Leliwá.

ELOGIVM II.

GENS TARNOVIA

Perennis fluuius honorum.

Aliger aſſurgit, quatiens pede, Pegaſus auras,
Fronte ſuâ nitidus labitur humor aquæ,
Hinc factus plures rapit aluo riuulus vndas,
Et tandem fluuius, fontibus exiguis.
Rex à Rege venit, Duce Dux, è Principe Princeps,
TARNOVII Comites, nonniſi de Comite.

B Conſule

Consule Iustinianum Comitem appellabit, qui in domesticos Regis imperium habet. Pyrrhum interroga, Comitem describet, qui Regi à latere est, aut quem numerosa comitatur Nobilium caterua, an non hi TARNOVII? Res pro ipsis loquatur. Quotusquisque non fortunatus Imperator? quotusquisque non amplissimus Senator? quotusquisque non Regis amicus? vno minorem solio quendam reperies. Dubitas? Polonos non nosti? Quod si hoc non placet, & nasci potiùs Comitem, quàm creari lubet: velut à primo ouo, vsque ad extremum numerando pullum, Comites inuenies; neq; enim à Cespite suo virgulta discrepant: aut procul à proprio stipite poma cadunt.

ELOGIVM III.

LVXVRIES OPVM Nullibi maior.

Capra bipes graditur nutrix celebrata Tonantis,
Fructibus ex humeris cornua plena ferens,
Talis Amalthea antiquis est credita sæclis,
Copia quâ Nymphis, est data diues opum,
En monumenta Patrum; dubitas? hæc Consule quantùm
Diuitijs potuit, TARNOVIANA Domus.

De opibus TARNOVIÆ Gentis, non tam dictu, quàm creditu difficile: Testis Cromerus, Ioannem Primum Melstinium Palatinum, vt vulgò loquuntur, Cracouiensem, secundum à radice huius Prosapiæ truncum, vniuersæ Inferioris Russiæ, & Podoliæ

Cromerus Lib. 14. & 15.

Podoliæ Dominum,& Administratorem à Serenissimo Casimiro renuntiatum fuisse: Quantæ hinc opes? quantæ diuitiæ? quantus splendor? Inuidebat fortunæ,Regina,hominis tantæ.Senatus obstrepebat, sed vicit constans virtus, & fortia in Rempublicam viri merita. Ille enim,ille fuit, qui tanquam manus dextra, Regi, Regnoque inseruiuit; Hæc publica præmia: Quid priuatæ opes? nil veriùs, quàm illud: Adfuit & census, & clarum nomen Auorum.

ELOGIVM IV.

VTROQVE CORONATI CLARESCVNT.

Cor decorat Sceptrum, diadema coronat vtrumq;,
Hæc tria sunt vni, credita rite, viro,
Prolem cor Regis, Sceptrum diademate pressum,
Commissa imperij munera summa viro;
Talia TARNOVIOS decorant insignia, Regis
Sustinet hac prolem, frenat & Imperium.

Opes & diuitiæ vulgaria bona, has cerdo, has lanio posſidet. Rectè enim communis Mercurius, quem probi simul & improbi coluêre Deum; Rara auis in terris, pectus edomitum honesto, cui illud donauêre Superi, Sacrarium consilij fecêre: ô te beatum IOANNES à Tarnow Palatine Sendomiriensis! In te Diuitem hanc penum honesti, vidit Rex Vladislaus,& tibi confidit; Quantum? vt tuæ fidei & probitati filium custodien- Cromerus Lib. 12.

dum, Regnum administrandum dederit. Sæcula, vidistis ei secundum alium?

ELOGIVM V.

NON AMBITIOSI
Hanc ambiunt vlmum.

Cernis vt insigne auratum diademate Sceptrum,
Circumdat viridi vitis opacâ comâ
Vtq; racemiferis frons, surgit fertilis vuis,
Quid sibi nam quæris, Stemmata tanta velint?
Sarmatiæ quoties cingunt subsellia Regum,
TARNOVII quid agunt? luxq; decusq; manent.

Dlugosſ. ab Anno 1303. Cromer. passim in Hist. Priuil. Monaster. Przevvorsc. 1394. Erectio Tẽpli Omniũ SS. Cracou. 1394. Orichou. in Annalibus. Item In Orat. ad Optimates Reipub. Bielski. Strykovvski Miechouita & alij Histor. Polon.

Ex ijs solis vniuersum Senatum refectum habes, Catalogum illorum pertexam. Nomina nonnisi indicabo; Tot sunt, quot ne verbo notatos tabula continere potest. I. Spicimirus Primus Comes Castellanus Cracouiensis, fundator Ciuitatis & Arcis Tarnouiensis, & Melsztynensis, vixit circa Annum 1280. II. Ioannes Primus Castellanus & Generalis Capitaneus Cracouiensis, Regni Casimiro Rege gubernator, Exercituum Dux Anno 1340. III. Raphael Primus Castellanus Visliciæ & Russiæ Administrator, circa eadem tempora. IV. Ioannes Secundus Palatinus, & Generalis Cracouiensis, Gubernator Russiæ sub Anno 1380. V. Iasco siue Ioannes Tertius, Castellanus Sądecensis circa idem tempus. VI. Spytko Secundus, Magnus Dux totius Russiæ & Podoliæ, vtriusque partis Ducatus Opoliensis in Sylesia, Admini-

strator,

ſtrator, Palatinus & Generalis Cracouienſis, Supremus Exercituum Dux, circa Annum 1 3 9 9. VII. Ioannes Quartus, Validus dictus, Caſtellanus, Palatinus, & Generalis Cracouienſis, Exercituum Dux in bello Pruthenico, Anno 1 4 3 0. VIII. Spytko Tertius Caſtellanus Cracouienſis, totius Rufsiæ Generalis, Exercituum Dux in bello Hungarico, circa eadem tempora. IX. Raphael Secundus Caſtellanus Visliciæ, Sendomirieñ. Capitaneus, circa idem tempus. X. Ioannes Quintus Felix dictus, Palatinus Lublinenſis. circa An. 1483. XI. Ioannes Sextus Amor dictus, Caſtellanus & Generalis Capitaneus Cracouienſis, Anno 1 5 1 2. XII. Ioannes Septimus Palatinus Cracouienſis Anno 1508. XIII. Ioannes Octauus, Caſtellan⁹ Cracouienſis, Supremus Exercituum Regni Dux, toto orbe clariſsimus Sendomirienſis, Stryenſis, Lubacenſis &c. &c. Capitaneus, circa Annum 1 5 6 1. XIV. Ioannes Nonus Palatinus Sendomirienſis, circa Annum 1515. XV. Spytko Quartus Palatinus Siradiæ, Petricouienſis, Oſtrzeſouienſis, Krzemionenſis, Boleslauienſis, Częſtochouienſis, Brzeſnenſis, Krzeſouienſis Capitaneus Anno 1 5 5 7. XVI. Stanislaus Primus Sadecenſis Caſtellanus, ſub idem tempus. XVII. Ioannes Decimus, Miles Sepulchri Chriſti, Caſtellanus Sandomirienſis, Pilznenſis Capitaneus, circa eadem tempora. XVIII. Ioannes Vndecimus Caſtellanus Woynicenſis,

Cromerus Orat. in Sigiſmun. I.

Heideiſten⁹

Páprocki ſub Stem. Lelivva.

Priuil. antiqu. ſub Anno 1347.

Simon Starovvolſc. inter Sarmatiæ Bellat.

Bonſinius Decad. 3. Lib. 6.

Philip. Calimach. de rebus Vladisl. Regis.

Paulus Iouius Lib. 42.

Andr. Wargocki in Lib. Valer. Max.

Bernard. Wapovvski in ſuâ Hiſt.

Heideſteni⁹ de bello Moſcouitic.

Gaſpar Siemek in Lacone.

Chriſtoph. Warſeuici⁹ in operibus varijs.

censis, Sądecensis, Stryensis Capitaneus, circa Annum 1557. XIX. Stanislaus Secundus dictus Diues, Palatinus Sandomiriensis, Siradiensis, Boleslauień. Capitaneus, circa Annum 1568. XX. Stanislaus Tertius Castellanus Sandomiriensis, Buscensis, Stobnicensis Capitaneus, mortuus circa An. 1618. XXI. Ioannes Duodecimus Gratus dictus, Castellanus Sandomiriensis, Zarnouiensis, Korczynensis Capitaneus, circa Annum 1626. XXII. Ioachimus Palatinus & Capitaneº Wendensis, circa An. 1640. XXIII. Michael Stanislaus Castellanus Woynicensis, circa Annum 1646. Et quidem Ioachimus Valachicis & Liuonicis prælijs, virtutem suam & Martium ardorem, potissimùm in expugnatione Arcis Wensteinensis probauit, vbi primariæ cohortis Sueticæ, Vexillifero, manu propriâ, comprehenso, atq; vexillo eidem erepto, fortitudinis suæ, non contemnendam retulit Lauream. Quem postmodum non ambientem, imò sæpiùs recusantem, virtus Senatorio donauit subsellio. Parnauiensis primùm, tùm verò Wendensis creatus fuit Palatinus. Nisi quòd tædio rerum mundanarum victus, vltrò & sua sponte, Senatoriâ illa dignitate, multis instātijs ad Serenissimū Regem VLADISLAVM IV. factis, sese abdicauit, possessiones verò suas, vnâ & Capitaneatum Krzepicensem, cum omni Iure, & Dominio, Illustri suo THEODORO CAROLO Filio tradidit, vnicâ interea THEODORA Filia,

Author presentis Opusculi.

Illustriss.

Illustriss. Dño. Leoni Casimiro SAPIEHA M. Ducatus Lithuaniæ Procancellario, Heroi, si prudentiam, linguarum peritiam, consiliorum maturitatem, & demum opum affluentiam spectas, facilè in Lithuaniâ Principi, in connubium collocatâ. Ipse tandem prædictus D. Palatinus priuata sorte contentus, quo exactiùs suprema sua componat, omnibus istis, quæ speciosâ, sed fallaci voluptate, alios delectant, & ad quæ, humani generis, cæca cupiditas obstupescit, contemptis; totum se penes Cænobium Klobucense Venerabilium PP. Canonicorum Regularium S. Augustini, solidæ pietati consecrauit, vbi tota deuotione mentis, solitudinis illius singularis amator, in suscepti consilij constantiâ obfirmatus, Soli Deo, diuinisq; rebus vacat. Dubium relinquens, maioremné laudem in Senatorio munere ritè administrando, an in illo vltrò deponendo sit fueritué promeritus? Nimirùm felicitatē mundanā nihili duxit, nisi cummularet sā̄ctimoniâ. Anno 1639.

Sequitur Illustrissimus MICHAEL Comes à Tarnow Prænominati Ioachimi Frater Germanus; Hic ætatem iuuenilem ab obsequijs Reipub. auspicatus, pro innato erga Patriam amore, in Orininensibus primùm, vt vocant, versùs Camenecum, Metropolim Podoliæ, campis, contra repentinum, eumq; ingentem Scytharum & Turcarum incursum, sub auspicijs & regimine Illustrissimi sui Parentis, Castellani Sandomiriensis, militiæ rudi- Author præsentis Opusculi.

menta

menta abſoluit. Tùm verò in Chocimenſi, quo nullum in Europâ maius,bello, præterquam quòd vnius & alterius cohortis, ſelectorum Haſtatorum Equitum (quos proprio ſumptu collectos aluit) ductor fuerat. Inſuper Commiſſarius, & magnus adminiſter belli illius,ex voto Reipublicæ,ſummis Præſidibus adiunctus,molem prædictæ expeditionis, pro re & occaſione, manu & conſilio vbique promptus, cum ſummo Patriæ & Domus TARNOVIANÆ decore ſuſtinuit. Et deniq; (quamuis nec dum vt meritorum & gloriarum finis) ſub tempus Interregni poſt deceſſum piæ memoriæ Sigiſmundi III.Regis,de communi nobilitatis conſenſu Palatinatum Sandomirienſem,in tutelam ſuā recepit. Viuit etiam nunc Maiorum ſuorum egregius æmulator,Religionis Orthodoxæ, Regni,Regumq; ſuorum amator, ac propugnator, toties ad publica Comitia internuntius fidelis,ac Conſiliarius fortis; Qui nuper in præmium tot,tantorumq; meritorum,non admiſsis alijs, & alijs dignitatibus longè maioribus, à Sereniſsimo Rege VLADISLAO IV. vltrò ſibi collatis (tandem ne deeſſe gloriæ Anteceſſorum ſuorum videretur) Caſtellaneatum Woynicenſem admiſit,Heros, ſi quis,non maior vitæ,morumq; claritate,quàm pietate;Deus proſperet omen, vt & Illuſtris proles ipſius, dum à moderatoribus ætatulæ ſuæ,rectam viuendi rationem accipit, à Parente ſuo Illuſtriſsimo ſumat & exemplum.

Ioan. Innocentius Petricius de bello Turcico.

Atq;

Atq; hic eſt Catalogus Principum TARNOVIÆ Domus, qui continuata ſucceſsione Senatũ Lechicum, quâ conſilio, quâ opera, ac alijs rebus præclarè geſtis illuſtrârunt, omnes habiti columina Patriæ, & Reipublicæ perennia decora, aucto ſemper lumine clariora, donec tandem Gentilitiæ ſuæ Lunæ ſplendoribus, totum impleant Orbem. Ita Fiat! ita voueo!

ELOGIVM VI.

TARNOVII VIGILES Bellorum Magiſtri.

Lechiadum Princeps ſummi moderamina Martis,
Militiæ cupiens Præſidis arte regi,
Clauam inſigne Ducis, ſibi dum concedit, in omnes,
Vnius ingenio traditur Imperium.
Ergo TARNOVIVS ſumptâ pro munere clauâ,
Munus obit fortis militis, atq; Ducis.

Huic laudi cedit genus, nec fului metalli congeries tantæ famulatur gloriæ. Nefas tribui auro, vel ſanguini, quod ſoli debetur virtuti, at ſi in vno omnia. Vnus ille clauâ dignisſimus. Quid opus lucernâ Diogenis? Notus eſt domi, foriſq; IOANNES de Tarnow Caſtellanus Cracouienſis: Martis Sarmatici moderator ſupremus. Vidit Luſitaniæ Rex & Martij viri virtutem Poloniæ inuidit, quia Patriæ commendauit. Probauit virtutem æquè in arduis atq; extremis, Dux ſex millium, fudit Moldauorũ, Iouius
ſex ſupra viginti millia ad Obertinum; Moſchum Elog. Lib. 7.

ad Starodubum cuniculis subruit, stupēda hæc sua ætate fuisse, litteræ loquuntur. At illud rarum, & penè solius fuit. Vsq; adeò latè propagata fama hominis, vt Solymano Pañoniam inuadente, vnus veluti inuictæ virtutis, gerendo bello, Imperator à Germanis atq; Hungaris, Bohemisq; expeteretur? Quanta vnius hominis vbiq; virtus!

ELOGIVM VII.

E ROBVSTA VIRTVTE TARNOVIORVM non nisi robur.

Ardua robustis quercus radicibus hæret,
Aridus hinc ramus truditur à viridi;
Aspice TARNOVIÆ præclara insignia gentis,
Poscebat quoties, seu toga, siue sagum,
Sic sic TARNOVIA, extendens sua brachia, quercus,
Egreditur robur robore, virq; viro.

Sæpè à radice non diuersum pullulat germen, vbi ergo illud; Heroum Filij noxæ? Ignauos premat, notet degeneres, TARNOVIORVM genuina proles, natiuis vbiq; fulget coloribus. Quis fuerit Ioannes à Tarnow Supremus belli Imperator, non repeto? Certè à Rege Sigismundo non tam honorario, quàm promerito pręmio, cumulatus est, cùm ob nauatam contra Tartaros Reipub. operã, stipendium Publicum maximâ cum posteritatis admiratione, ab vniuersâ nobilitate, atq; adeò Regno ipso, accepit. Ad propositum festino. Martis Sarmatici Successores TARNOVII fuêre. Ecce Tibi

Cromerus Orat. in Sigismun. I.

Stanislaum

Stanislaum à Tarnow Palatini Sandomiriensis Filium, Sandomiriensem Castellanũ, Tuum Illustrissime MICHAEL proximum Genitorem, An non hic Maiorum suorum dignissima proles? Præter insignem, aliquot Interregnis Reipub. fluctuanti, priuatis opibus probatam operam, aduersus Moschum, præcipuè verò ad Pscouum, maxima pars fortissimorum militum, Regi Stephano fuit. Sic TARNOVIORVM è domo veluti ex equo Troiano, Dux Ducẽ, miles militem, vir virum sequitur.

ELOGIVM VIII.

QVOTQVOT TARNOVII,

Tot & Viri strenui.

Ecquis terrigenum fauces lacerare Leonis
Audet? vel linguam faucibus eripere?
Monoades tantum facinus fors strenuus ausus
Tentare? altisoni progeniesué Iouis?
TARNOVIIS hæc laus tribuenda est iure Dynastis,
Quêis vis Zargitis, robur & Herculeum.

Quidam dicunt: Magistratus monstrat virum; mihi verò periculum est, quod monstrat virum: In hoc qui vir, qui strenuus, ipsa docet res; quem enim fugit, plerosq; domi suæ Leones, in campo ostendisse ceruos? Impatiens tantæ labis stirps TARNOVIA, veros illa Achilles, & viros Herculei pectoris Patriæ protulit. Quantus enim ille fuit, IOANNES de Tarnow ad Nicopolim, sub Rege Vladislao miles? Arx fuit Petressum, natura loci, & Cromerus Lib. 21.

artificij

artificij opere firma, Turcico præsidio firmissima; spes deditionis nulla, itur oppugnatur; TARNOVIVS in maximis vtrinq; conatibus, primus mænia conscendit. Ipse vexillum, ipse signifer, ipse tubicen, ipse Dux, ipse miles, ipse omnia; Exhorruit hostis robur, & audaciã viri, animo concidit. Noster hostem premit, Ad arcem, ad arcem conclamat, & præit. Quid? An non huic par nostra ætate eiusdem nominis, & gentis IOANNES à Tarnow, in Moschouia armorum, Castellan⁹ Sandomiriensis, Collega? qui in expugnandis propugnaculis, duobus famulis Piscorscio, & Raczynio commilitonibus, globi instar tormentorũ ignibus excussi, ad ipsas portas, & mænia aduolabat, perq; muros fractos, & parietes disiectos, ingredi animosè tẽtabat, ter ictus, ter recessit, ter redijt: ô quàm inauditũ fortitudinis exemplũ suæ dedit, hostibus audaciæ.

Páprocki in Stem. Leliwá.

ELOGIVM IX.

VBIQVE GENEROSE Mori parati.

Fertur in æquoreis Rex ipse tridentifer vndis,
Tergora Delphinus præbet Arionius,
Effera consurgunt aduersum monstra profundi,
Ipse tridente minas Rex iacit horribiles,
Vnica TARNOVII quantum mens conscia recti,
In Patria potuit, volue, lege, atq; proba.

Generosa Comitum de Tarnow propago, cum Ciue Ciuis, cum hoste inducias nescit. Execrandũ quondam

quondam scelus, contra nobilitatem patrârunt Vrbis Cracouiensis Incolæ: Andreas Tencinius expeditioni intentus, sclopetarium fidem fallentem, bis malè mulctasse fertur. Sæuit ignobile vulgus, Tencinium adoritur, fores effringit, claustrum violat, cæde tumultuaria, fædè & ignominiosè mactat, raptat, & tota Vrbe confossum & semiustulatum ostentui habet. Quid Tencinij? queruntur. Sed Rex simulandum potiùs, quàm puniendum crimẽ ratus, surdis querelam accipit auribus. En tibi adest magna de gente TARNOVIVS, Castellan⁹ Cracouieñ. cui ab Amore cognomentum est, hic frequenti in Senatu, rem proponit, scelus exaggerat, grauitatem explicat, exemplum audaciæ, & insolentiæ, in Nobilitate malo Reipub. nunquam antea visum, datum cõmemorat, mouit, & permouit Senatũ, atq; adeò ipsũ Regẽ Oratio, vt absq; omni mora rei sceleris, debitas & memorabiles in sempiternũ luerent pœnas. Hiccine non in pace Ciuis? Cromerus: Lib. 24.

ELOGIVM X.

SEDARE OMNES PROCELLAS Tarnouijs innatum.

Sarmata quid stringens gladium in ceruice togatus
Denotet? aut quid cor palma sinistra premat?
Expetit an rigidi tentare pericula Martis?
Otia num grata rumpere pacis amat?
Non hoc; TARNOVII latet hic, studiumq; salusq;,
Pro Patriâ, pro omni Ciue, parata mori.

Vt Græcis pallium, ſic Latijs toga inſigne pacis, & conſilij fuit, & hâc inſignes TARNOVII; In promptu eſt IOANNES de Tarnow Palatinus Cracouienſis; Hic Senator in toga, cùm vidiſſet Vladislaum Regem Vitoudi conſilio ſeu improbitate perſuaſum, de integritate Sophiæ, Reginæ ſiniſtrè ſuſpicari, atq; ob eam cauſam à ſe ablegare in Lithuaniam velle. Ergo Regem adit, quærit induſtriè, quid pueris ex ea natis facere vellet? Reſpondit Rex, ſecum eos fore, & in ſpem regni educari: tum ille Herculeo penè pectore, Apage ſis. Tuné Reges nobis relinquere vis, quos ipſe dum probro afficis, pro tuis liberis non agnoſcis? Frangit conſtans vox indomitum pectus Regis; mox frequenti Senatu, Duce & authore Tarnouio purgatur Regina, Vitoudi franguntur machinationes. An non in hac ſcæna togatus Senator fuit? Audi aliud, Vitoudus inſidiatur Regno, retia expãdit, fortunæ auſpicijs Regnũ capere molitur, obſecuta profectò fuiſſet fortuna cæca, Vitoudo, niſi Tarnouius, conatus retudiſſet, primus hic & nouiſſimᵒ in togâ Senator.

Cromerus Lib. 24.

ELOGIVM XI.

Omnibus ſunt præſtò.

Tollit in excelſum folio ſe Palma virenti,
Inſidet huic magni præpes adunca Iouis;
Pendentes hinc inde haſtas, ſclopeta, ſagittas,
Diſtribuit, properans vndiq; fertur auis.
Gens Tua TARNOVI, Palma eſt tot dotibus aucta,
An non hinc Patriæ præſidium atq; decus?

Et pacis

Et pacis toga,& ſagum belli, nota teſſera. Hâc Viri Martij à Ciuibus, hâc bellicoſi ab armorum rudibus; In hâc Tarnouij,& eximij,& ferè ſinguli, nullus paludatus vel togatus, quin priùs ſagatus ſpecimen dederit,& fortia fecerit; in ſumma,quiſque TARNOVIORVM, Martem hæredem habuit. Bellonæ quiſq; genuina propago fuit,vultum intuere. An non ex lineamentis Parentum? Memora fortiſsimum Regis Vladislai ad Warnam cōflictum: Inuenies & pugnæ Regis ſtrenuos commilitones,& diſcriminis extremi comites eximios, Ioannem Amorem, & Ioannem Gratum TARNOVIOS, Palatini Cracouienſis,par filiorum nobiliſsimum, par fratrum bellicoſiſsimum,pluſquā Caſtor & Pollux, non alternâ, ſed parili face, aut orientes,aut occidentes noſtro in cælo;ſic illi foris. Iam domi, nil niſi gratiæ puræ & putæ, quin amari non timeri, obſeruari non dominari volunt.

Cromerus Lib. 21. in fine.

ELOGIVM XII.

TARNOVII ex vtroque conſtant.

Verticibus ſine, bina columna minatur Olympo,
Præſulis & Regis iungit vtrumq; decus,
Vtraſq; exornat diadema Sacerq; Tiaras,
Hoc proprio lucent, lumine TARNOVII
Defendunt commune bonum, Patriamq; Fidemq;,
O quàm ſecurè ſtant Superi his baſibus!

Vicina hæc ſunt, Pietas in Patriam, Religio in Deum; quæ duo ſi in vnius pectore,dignus profectô quem

ctô quem


ctô quem Parcæ timeant, alterum ſine altero, aut inſtabile, aut minùs ſyncerum. Vtrumq; & Poſſeſſorem poſteritati, immortalem, & Rempub. felicē florentemq; reddit; hoc biuio ad gloriæ faſtigium Tarnouiorum, peruenit, Generoſitas. Non ſat gloriæ, clauam domi foriſq; tractare, ni etiam ſacris opulentam promant manum. Quot ab illis donaria Diuis? Spicimirus vt nomē Patriæ, ſic & rem Chriſto dedit. Gneſnenſem Tiaram ſicut ſponſam dote, Paſtorem pedo, ſic ille ſuo exornauit Spicimiro. Ioannes Palatin⁹ Sandomiriæ & Ruſsiæ Capitane⁹, in Familiam S. Auguſtini diues, quam vocatā Przeworſci collocauit, collocatam dotauit, ornatam ad hoc vſq; tempus conſeruauit. Alter Ioañes Raphael Palatini Cracouienſis Filius, & ibidem Canonicus, Hic Præpoſitus Tarnouiæ, Ordini S. Franciſci de Obſeruantia, Domum Religioſam in eodem Oppido erexit, & munificè decorauit erectā. Fuêre ſemper Tarnouijs, nec modo deſunt, non minus ad ardua fortes, quàm in Diuina liberales Spiritus. Haud illis ſurdæ ad querelas inopum aures, nec ad indigorum vota, in ſinum repôſtæ manus, patet aditus ſuccurrendi Religioſorū neceſsitati. Rati nimirùm, ſic plenè & tutè diuitias & opes, quando vſu largiendi deſinunt, poſsideri.

Cromerus Lib. 5.

Priuilegia Monaſterij Przevvorſc.

Erectio Monaſterij Tarnouien.

Ad Maiorem DEI *laudem,* DIVAE *Noſtræ* CLAROMONTANAE *Honorem, Illuſtriſſ: Domus* TARNOVIANAE *Perenne Decus.*


Biblioteka Jagiellońska
stdr0010272